

¶ · ¶

# Ad Lectorem.



Ltimum exhibetur tibi Vo-  
lumen Candide Lector,  
sed ordine non dignitatē  
& materia, quam conti-  
net, necessitate: exponit  
enim Authorem omnis  
gratiæ Christum Dominum Redemptorem  
& Salvatorem humani generis, septenos quo-  
que gratiæ fontes ex eodem scaturientes sep-  
tem dico Ecclesiæ Sacra menta, quæ abunde  
gratiam ad Deum unum & trinum, quem  
prima Pars Theologiæ contemplatur, per va-  
rios virtutum actus, quos altera fusiùs expliq-  
cat, attingendum & felicissimè ut ultimum  
totius Theologicæ speculationis & praxeos ter-  
minum obtinendum profundunt; Jungenda  
est in hac parte sicut in præcedentibus praxis  
Theoriæ & regulanda praxis per Theoriam,  
error, utinam non nimium inter eos, qui  
Theologicæ scientiæ studiosi videri & dici vo-  
lunt, communis, plurium animos pervasit,  
praxin doctrinæ Sacramentalis ex Casuistis esse  
desumendam, quid (inquiunt complures)  
ad praxin facit, utrum ita definiatur Sacra-  
mentum, an talis sit mutatio substantialis in  
materia, in forma, hoc subiectum non sit Sa-  
cramenti capax ob hujus aliud ob alterius dis-  
positionis carentiam, potius legendi sunt Mi-  
nistro Sacramenti illi scriptores, qui in parti-  
culari

*Ad Lectionem.*

culari circumstantia indicant, quando, quomo<sup>d</sup>o, cui ministrandum sit Sacramentum. Verūm ò boni, quantæ molis Volumina legenda erunt, si pro quolibet particulari Casu applicabilem in particulari doctrinam quis exquirat, quot circumstantiæ sunt, qui Casum in Libro expressum mutant: nec tamen prævideri potuerunt, & quotus est, qui accuratè expendat, an contingentia facti Casui figurato per omnia respondeat, ut secundūm ejusdem resolutionem in faclo tutò procedatur; Principia & Rationes in generali seriò examinatae atque per oppositarum solutionem stabilitæ prudenter cuilibet particulari Casui applicatae viam erroribus præcludunt. Fateor Ministro Sacramentorum utilissimum, si non necessarium, esse, ut pro facili expeditione eorum, quæ in hoc ministerio s̄epissimè occurrunt, Casus in probatis Authoribus præviderit, sed nisi fundamenta Theologicè expensa antecedenti studio firmaverit, erit similis ei, qui ædificavit super arenam, irruentibus fluminibus motiōrum pro opposito practicando, flantibus ventis perplexorum dubiorum, corruet tota struttura firmo Fundamento non innixa, destituta solidis rationibus hærebit consilii inops Minister Sacramenti. Igitur, si quantum in te est, proximum de fructu sacramentali, Sacramentum de valore ex institutione Christi attributo, te ipsum de debita muneris tui executione secum reddere velis, doctrinam sacramentalem

Scho-

*Ad Lectorem.*

Scholasticâ Methodo traditam ex solidis Theologîæ principiis acquire , hâc acquifitâ progre-  
dere ad legendos Casus practicè propositos, eo-  
rundem resolutionem ex Theoriæ fundame-  
nis expensam in occurrentibus occasionibus  
applica ; Noveris autem in administratione  
Sacramentorum , aliter esse practicè argumen-  
tandum, quam in directione conscientiæ quoad  
honestatem & inhonestatem actuum : non  
enim hoc modo practicus discursus est conclu-  
dendus, ut illud inferatur esse faciendum, quod  
posse fieri probabilius est, sed quo factio, certum  
est, validum confici Sacramentum, cum in op-  
posito exponatur Sacramentum nullitatis pe-  
riculo, sive illud sufficere ad valorem minus sive  
magis sit probabile, quia maximè in Sacramen-  
tis, à quibus dependet salus proximi, servanda  
est regula S. Augustini : Tene certum & dimitte  
incertum, quam firmitat censura Pontificia pra-  
xin huic regulæ oppositam , dum agitur de va-  
lore Sacramenti, damnans . Hac igitur adhibi-  
ta cautela in delectu sententiarum opposita  
circà Sacramentorum valorem suadentium,  
utere labore in tuum commodum destinato,  
pro erroribus typi, quos contextus antecedentis  
& consequentis materiæ facile indicabit, sicut  
jam anteâ, itâ & in hoc Volumine , rogo , ut te  
facilem exhibeas correctorem , atque pro me  
apud Deum intercessor existas.

Vale.